



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad  
Annum 1746

**Luxemburgi, 1752**

XXXVI. Beatificationes Servorum Dei, & Beatorum Canonizationes in  
Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur. 23. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)

debita pœnarum districtione pro modo culpæ à Vobis puniantur. Quinimò cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, & à rectè agendi semita revocari: Mandamus idcirco, Matrimonio occulta à Vobis evulgari, & nota fieri, si certò Vobis confiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreata fuisse Sobolem, & baptizatam suppressis Parentum nominibus, nullà præstità Vobis notitià, ut par erat, ab illius Parentibus, intra triginta dies à Nativitate numerandos.

§. 13. Ne autem Contumaces, & Inobedientes, violatæ fidei, proditique Secreti Pastores suos infimulent; sedulo à Vobis curandum est, ut à Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii à Vobis deputando, Conjuges clarè, & apertè moneantur, eâ lege, & pacto illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non solum regeneretur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denunciatur Episcopo cum nota loci, & temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione Parentum, à quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est: Alioquin Matrimonium, licet contractum datà per Episcopum Secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam Filiorum, & ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

§. 14. Volumus denique, ac mandamus, Fides, seu Attestationes Matrimonii clam initi, & Sobolis ex eo procreata, excerptas ex dictis Libris, modo, quo dictum est, apud Vos cautè custodiendis, tantam promereri fidem, quantum sibi alii Libri Parochiales Baptismatis, & Matrimonii vindicare consueverunt.

§. 15. Hæc à Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixè præcipimus, ad communem Animarum salutem, & ad præsidium Ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hinc literis sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad Pastorale officium cumulatè obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, & benevolentia testem, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Novembris 1741. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXVI. Beatificationes Servorum Dei, & Beatorum Canonizationes in Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

AD Sepulcra Apostolorum, quorum consecrata Sanguine Roma, quæ fuerat Magistra erroris, facta est discipula veritatis; ad Sacros Beati Petri cineres, super cujus fidei firmitate extructa totius sacri ædificii Cælo inferenda confurgit sublimitas, Romana Mater Ecclesia in suis triumphat Filiis, qui, calcatis Mundi blanditiis, & infernalis hostis superatis insidiis, ad præmia pervenerunt æterna, & quos inter Sanctos Dei Servos, & cœlestis beatitudinis confortes, congruo devotionis cultu venerandos, Romani Pontificis à Christo Domino accepta, & per Petrum ad Successores suos

derivata decernit auctoritas. Quæ igitur à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prudenti consilio, & provida ratione instituta sunt, & longo deinde usu recepta, piè sancteque servata, Nos, quorum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad Cathedram Petri evehere dignata est, decet diligenter servare, & studiosè custodire, & si quid vel temporum, vel rerum varietate immutatum est, in integrum restituere, & ad pristinam rationem, ac formam revocare; atque alia disponere, prout in Domino videtur expedire.

§. 1. Sanè quidem omnes, & singulas Beatorum Canonizationes in Urbe nostra peragendas in Basilica B. Petri Apostolorum Principis semper peractas fuisse, antiqua ac fide digna testantur monumenta: Cum autem fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædecessor noster, à quo ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, in eadem Vaticana Basilica Beatos Turribium ex Majora, Jacobum à Marchia, Agnetem à Monte Politiano, Peregrinum Latiofum, Johannem à Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislavum Kotskam, & benedictio post Beatam Margaritam à Cortona, Sanctorum cultu honorandos solemniter de more constituisset; ac deinde Beatum Johannem Nepomucenum in Sanctorum numerum similiter referre vellet; ei persuasum est, ut id in Basilica nostra Lateranensi solemniter ritu perageret. Nos, qui per id temporis Ecclesiæ Anconitanæ ex concessione, & dispensatione Apostolica præeramus, eundem Benedictum Prædecessorem per nostras litteras certiores facere non prætermisimus, Beatorum Canonizationes, quoties in Urbe faciendæ erant, non nisi in Vaticana Basilica ab antiquo tempore celebrari consuevisse; & ad hujusmodi officium præstandum eo magis Nos teneri credidimus, quia per plures annos, dum in minoribus eram, unus ex insignis ejusdem Basilicæ Capituli Canonicis extitimus, & per plures etiam annos munere Promotoris Fidei functi fuimus. Tum autem Romæ benignè Nobis responsum est, quod in Basilica Lateranensi solemniter apparatus pro Canonizatione ibidem habenda jam nimium processerat, nostraque literæ seriùs, quam oportebat, ad Urbem pervenerant.

§. 2. Postmodum à piæ mem. Clemente Papa XII. similiter Prædecessore nostro ab Ecclesiæ Anconitanæ, ad Ecclesiæ Bononiensis regimen Apostolica ejus auctoritate translatis Nobis significatum est, prædictum Clementem Prædecessorem BB. Vincentii de Paulis, Johannis Francisci Regis, Catherinæ Fieschi Adorni, & Julianæ Falconeræ Canonizationem propediem in Ecclesia Lateranensi solemniter celebraturum: Sed quoniam per id tempus jam primus Tomus Operis Nostri de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat, in quo nullam, ante præfati Benedicti Prædecessoris tempora, Beatorum Canonizationem in Urbe solemniter, nisi in dicta Basilica, celebratam fuisse satis superque demonstratum fuerat, ulterius animi nostri sensus aperire superfluum duximus.

§. 3. Præterea, cum ante fel. rec. Alexandri Papæ VII. pariter Prædecessoris nostri tempora, nulla statuta esset solemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei observanda; idemque ritum, & solemnitatem adhibendam in sacra functione hujusmodi, eamque debita cum pompa in Vaticana Basilica explendam decreverit, ita semper posterioribus temporibus servatum est, ut omnes Beatificationes in eadem Vaticana Basilica celebrarentur, usque ad præfati Benedicti XIII. tempora, quo Romanam Ecclesiam gubernante, quamvis in Vaticana Basilica Beatificatio Ancillæ Dei

Pontifex refert morem peragendi Canonizationes in Basilica Vaticana.

Qui, ipso dissentiente, semel interruptus fuit sub Bened. XII.

Et iterum sub Clemen. XII.

Idem accidit quoad Beatificationes.

Prædicta omnia contrahentibus edicenda.

Regestis fecerit auctoritas tribuitur.

Adhortatio ad Episcopos.

Dat. die 17. Nov. 1741.

XXXVI.

BVXXX

Procemium.

Beata Hiacyntia Mariscotta, & Servi Dei B. Joannis de Prado facta sit; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis à Sigmaringa, paulò post Canonizationem B. Johannis Nepomuceni, in Basilica Lateranensi celebrata fuit. Post hanc verò Beatificationem, in ejusdem Benedicti Pontificatu, in Basilica Vaticana solemniter ritu relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei postea Beatus, & nunc Sanctus Vincentius de Paulis, & Servus Dei Beatus Petrus Forerius; in Pontificatu autem Clementis XII., paulò post supradictas Canonizationes in Basilica Lateranensi uno eodemque die unica solemnitate peractas, in eadem Basilica solemniter adscriptus est inter Beatos Servus Dei nunc Beatus Joseph à Leonissa: Cum autem à Nobis, ob ineffabilem Dei benignitatem Pontificatus honorem, ac onus gerentibus, decretum fuisset, ut inter Beatos Servus Dei Alexander de Saulis adscriberetur, solemniter ejusdem Beatificationis functio in Basilica Vaticana celebrata est.

Non tamen sub Pontificatu SS. D. N.

Qui veterem consuetudinem Decreto suo firmat.

§. 4. Matura igitur consideratione perpendentes, quod à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris omnes Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe nostra solemniter peragenda, laudabili instituto, optimisque ex causis ab antiquissimo tempore in Vaticana Basilica, & quod ab Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri, & successivis deinde temporibus, Beatificationes quoque in eadem Vaticana Basilica, exceptis nonnullis supramemoratis Canonizationibus, & Beatificationibus ab iisdem Prædecessoribus nostris Benedicto, & Clemente in Basilica Lateranensi peractis, semper celebrata fuerunt: Ne igitur commendabili, & antiquæ consuetudini, prædicta Vaticana Basilica prærogativa hujusmodi, ex B. Johannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis à Sigmaringa Beatificatione à Benedicto, necnon ex Beatorum Vincentii de Paulis, & Johannis Francisci Regis, ac Beatarum Catharinæ Fieschi Adorni, & Julianæ Falconeræ, respectivè Canonizatione, & Venerabilis Servi Dei Josephi à Leonissa Beatificatione, à Clemente, Prædecessoribus prædictis, in Ecclesia Lateranensi celebratis, præjudicium aliquod afferatur; hac nostra perpetuò valitura constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Prædecessorum nostrorum institutum, decretumque Alexandri Prædecessoris prædicti, ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes, confirmantes, & innovantes, ac illis quodcumque Apostolica firmitatis robur adjicientes, motu proprio, ex certa scientia, ac Apostolica potestatis plenitudine, decernimus, præcipimus, & constituimus, ut in posterum, & perpetuis inde futuris temporibus, omnes, & singula Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra prædicta pro tempore celebranda, non in aliis, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe prædicta, privativè quoad reliquas Basilicas, Ecclesiasque ejusdem Urbis, celebrari omninò debeant; utque Canonizationes, & Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi à Benedicto, & Clemente Prædecessoribus prædictis, ut præfertur, peractæ, nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebrata non fuissent, præjudicium aliquod antiquo instituto, & Vaticanæ Basilicæ prærogativæ afferre valeant.

Et prædictas Functiones deinceps in Basilica Sancti Petri fieri mandat, non obstantibus &c.

Confirmat Decretum Alex. VII. circa præstationes ejusdem Basilicæ Sacratio debitas.

§. 5. Insuper quoniam ab eodem Alexandro Prædecessore nostro, usque ab anno 1659. alterum emanavit decretum super contributione, tam in Beatificationibus, quam in Canonizationibus, favore Sacrorum ejusdem Basilicæ faciendæ, quod à Nobis in prædicto Tomo primo Operis Nostri de Beatorum Canonizatione re-

latum est, motu, scientia, & potestate simili illud approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, quæ ab ipso Alexandro Prædecessore decreta sunt, rursus decernimus, & constituimus, & in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

§. 6. Præsentes quoque, ex eo quod interesse ad præmissa habentes ad hoc vocati, & audiri non fuerint, aut ex alia quavis juridica, & legitima, etiam necessariò exprimensa causa, vel quocumque prætextu, de intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, vel impugnari nullo unquam tempore posse, sed semper firmas, validas, & efficaces fore, & esse: Sicque, & non alias, per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac quoscumque alios Judices quacumque judicandi facultate fuffultos, judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate: irritum quoque, & inane, quidquid fecus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula salutare.

Decretum irritans.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus Canonizationibus, & Beatificationibus in prædicta Ecclesia Lateranensi, ut præfertur, celebratis, ac nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo; necnon Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, siquæ contra literarum nostrarum hujusmodi tenorem editæ existant, statuti, consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, quibus, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus caterisque contrariis quicquidcumque.

Sanctio.

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, confirmationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Dat. die 23. Nov. 1741.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, nono Kal. Decembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 13. Decembr. ejusdem anni.

Præscribitur Forma, & solemnitas in Exequiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium servanda.

XXXVII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

PRÆCIPUUM intimi amoris nostri, & sinceræ in Christo caritatis erga Venerabiles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos in Apostolica nostræ sollicitudinis partem superna cœlestis Patrisfamilias evocat dispositio, à Nobis exigit studium, ut quemadmodum omnia & singula, eis viventibus, eorumque sublimi dignitati debita privilegia, quantum in Domino possumus, firmo constantique

Pontificis Audium erga S. R. E. Cardinales, viventes atque defunctos.